

Stephanus Galdeti

De merito vel mereri
Bredwardinus infra

Editor: Florina Hariga

work in progress
26.06.2026

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| **De merito vel mereri BREDWARDINUS infra**

Supposita quod omnia Dei dona sub divina providentia continentur. Restat ostendere quod Deus seu Dei voluntas universa sua munera tribuit pure gratis. Contra dicentes quod licet merita non sint causa principalis gratie tamen sunt causa sine qua non. Quod non propter merita previsa predestinat, nec ipsum esse meritum est causa volutionis divine ipsam movens ymo, quia Deus vult et eternaliter voluit ipsum mereri ipse merebitur non econtra. Ad hanc sententiam est AUGUSTINUS divine gratie laudator magnificus post PAULUM. Item oppositum est pelagianicum.

Contra etiam dicentes vel oppinantes quod licet homo non possit ex se mereri primam gratiam tamen potest se preparare et tunc Deus dabit etc.

Contra dicentes quod licet homo premereat pensando cum homo subsequitur aperiendo iuxta illud Apoc. 3 *ego sto* etc. deducitur.

Contra dicentes hominem ex propriis viribus mereri gratiam de congruo non de condigno ubi multa de merito notanda.

|| Est namque primo notandum quod aliter se habet Deus reddendo premium pro bono opere et pro malo et aliter homo nam homo quod intelligat legem per quam certa pena certo peccato correspondet et ante culpam manet indeterminatus ad hunc et ad illum, sed postera per culpam determinatur, sed non sicut Deus, sed ex se solo semper eque determinare vult et nult quecumque vult et nult, sicut patet Rom. 9 de Iacob et Esau.

Et si obiciatur quod frequenter invenitur dictum ab Ecclesia quod Deus premiat propter merita pro quo ostendit meritum nullo modo esse causam premii subsequentis. Non materialis, quia illam materiam cum causato, nec formalis propter idem, nec finalis, quia magis est econtra, nec efficiens, quia efficiens et effectus simul sunt et non sunt.

Nec potest dici causa efficiens premii, quia movet divinam voluntatem indeterminatam ad dandam premium ex dictis multis supra.

Sed tantum potest dari unus satis congruus ut dicatur meritum esse causa premii transumptive, scilicet quia efficit formam in merente,

P2 112r

1 de merito] 8 *add. in marg. P1* 2–10 supposita — pelagianicum] patet conclusio, quia perfectius est dare quam vendere et per consequens Deo tibi linendum *add. in marg. P1* 6 predestinat] predistinat *P1* 11 etiam] *sup. lin. P1*
20 peccato] culpe *add. sup. lin. P1* 21 postera] postea *P2* 27 cum] quia *add. sed del. P1* 28 idem] nec efficiens quia efficiens et effectus simul sunt et non sunt nec potest dici causa efficiens *add. sed del. P2* 32 tantum] tamen *a. c. P1*

qua secundum presentem iustitiam sit ydoneus ad premium, vel quia efficit mentem talem quali et soli est premium liberrime et gratuitissime ordinatum, quia secundum presentem legem ad premium exsequendum, oportet habere formam formosam qua talis ydonee formatur ad gloriam et in peccante per oppositum. Et ideo cum dicitur propter merita ly ‘propter’ denotat causam vel formam qua talis est ydoneus secundum presentem iustitiam ad premium optinendum, ut dictum est.

Vel potest dici quod ly ‘propter’ significat causam finalem ordinis universi a Deo decentissime predestinati, ut cum dicitur “Deus vult istum propter merita”, id est vult quod talis sit finis talium meritorum secundum ordinem ab illo talibus ordinatum et predestinatum, et vult merita esse quedam media ad consequendum premium.

Non igitur propter merita dat || premium ut ly ‘propter’ denotat causam in merito moventem et educentem divinam voluntatem de potentia ad actum ad volendum illi dare premium. Nec per consequens moventem divinam voluntatem ad dandum, nam precise dat premium, quia vult dare, sed an det premium propter meritum, vel an det premium quia dedit meritum aut econtra. De hiis talibus videtur dubium. Et de istis an velit dare premium, quia vult dare meritum an econtra.

Sed quidquid sit de hiis liberrime gratuite vult et ab eterno voluit et volet et dabit de facto premium ymo libertate et voluntate que sufficeret ad dandum, sed cum hoc libere ordinat hoc esse per merita que sunt eius dona, sicut libere sibi associat causas secundas in suis actionibus.

|| “Condignum” potest capi tripliciter, scilicet prius naturaliter et antecederet voluntate divina vel posterius, vel mixtum ex ambobus, vel aliter absolute condignum de rigore inflexibilis iustitie. Condignum per accidens et de iustitia dependente a voluntate divina et condignum mixtum ex ambobus.

Mereri de condigne in malo vere dicitur, quia ex sola malitia peccati talis pena poterit sic peccanti infligi. Non sit in bono, quia nullum opus est tam bonum vel tam dignum coram Deo, ut ex illius solius bonitate vel merito vita tali sine omni gratia debeatur.

Condigne actualiter mereri est facere aliquid cui premium actu

1 vel] *sup. lin. P1* 3 exsequendum] *p. c. P1* ; consequendum *P2* 7 dictum est] dare sensus *add. in marg. P1* 9 decentissime] predestinati *add. sed del. P2* 10 propter] meritam *add. sed del. P2* merita] premiare si ly ‘propter’ denotet causam vel for *add. sed del. P1* 14–15 et educentem — actum] *sup. lin. P1* 16 premium] *sup. lin. P1* 18 dedit] dabit *a. c. P1* ; pre *add. sed del. P1* 19 meritum] *om. P2* 21 premium] cum ex e *add. sed del. P1* 29 condigne] condigno *P2* 31 bonum] tam *add. sed del. P2*

debetur et sic nullus peccans meretur aliam penam quam habebit non est dignum quod aliter puniatur quam Deus scivit ipsum esse puniendum aut voluit, ut notum est et satis tactum supra in principio huius materie, scilicet de remissione peccati.

5 Mereri autem potentialiter est facere aliquem actum premiabilem, scilicet an premium posset reddi et sic quilibet peccans tam salvandus quam dampnandus meretur maiorem penam quam habebit, ymo eternam quantamlibet intenssive, quia talem posset Deus iuste infligere || et istud est mereri mixtum.

P2 113r

10 Quod autem istud mereri sit mixtum ex antecedenti et consequenti voluntatem divinam patet quod enim hoc facit a voluntate Dei dependet, sed quod hoc facto vel illo possit dari merces tanta vel tanta necessario est omnino.

15 Conclusio: Mereri cum due actualiter antecederet voluntati divine per se et absolute non est possibile nec in bono, nec in malo.

Conclusio: Sed consequenter, scilicet secundo modo, mereri condigne bene; omne enim quod Deus vult et facit dignum est et condignum.

20 Conclusio: Tertio etiam modo potest quis mereri bonum et malum, scilicet tale quod sequitur inseparabiliter suum opus quod facere dependet a Dei voluntate, sed quod illo facto cum omnibus circumstantiis continetur tale bonum vel malum necessarium est omnino, sicut ad hunc currere sequitur hunc moveri.

25 Meritum Christi quoad actum merendi finitum fuit, sed quoad pretium quod obtulit Deo Patri pro omnibus redimendis fuit infinitum, et sic si imperfectiora naturalia assumpsisset et actum remissorem dum tamen se ipsum obtulisset omnes sufficientissime redemisset. Exemplum de duobus volentibus currere eandem rem uno prenuntiative* voluntate minus iusto tamen pretium offerente altero econtra etc.

30 Sed adhuc posito quod meritum Christi fuisset infinitum in specie meriti adhuc nullis meruisset de condigno, nam prius tempore et nulla voluisset Deus Christum erit quemlibet alium habere quidquid habet quam per illud meruit sibi vel aliis, Ioh. 12 *ex memet ipso non sum locutus*. Et iterum: *non possum a memet ipso facere quidquid*. Et supra: *sedere ad dexteram etc. non est meum dare vobis*.

4 scilicet | *sup. lin. P1* 14 conclusio | *in marg. P1* actualiter | actualitates
P2 16 conclusio | *in marg. P1* mereri condigne | *sup. lin. P1* 18 conclusio |
in marg. P1 21 hunc | *q add. sed del. P2* 23-28 meritum — econtra
etc. | de merito Christi incipienter *add. in marg. P1* 28 iusto | *sup. lin. P1*
29-34 sed — vobis | *ad propositum add. in marg. P1*

De infra scriptis, quia dicit GREGORIUS quod, si nulla esset divina ratio per impossibile, adhuc quis male ageret, ideo etc.

Contra: si nullum esset agens, nullum liberum nichil male mortaliter fieret. De furioso etc., sed si nulla esset distincta.

- 5 Item si nullus esset legislator, nulla esset lex. Si nulla esset lex, nulla esset obligatio. Si nulla esset obligatio, nullum esset peccatum. Patet de Deo qui non peccat quamquam faciendo, quia ad nichil tenetur. Si nulla esset obligatio, nichil esset debitum fieri vel debitum non fieri seu indebitum fieri positive, igitur si nulla esset divina ratio etc. Confirmatur, 10 quia si nulla esset lex prima, nec esset secunda, nec tertia. Ex hiis patet stabilita descriptio peccati. Unde an sit dicendum de bono et merito.

- || De malo ponit Magister GREGORIUS tres conclusiones: prima P1 69r
capiendo substantive pro malitia non est aliqua entitas, sed pura privatio seu defectus boni debiti in esse. Secunda conclusio quod malum isto
15 modo, quamvis non sit aliqua entitas, est tamen in aliqua entitate. Tertia quod malum denominative est aliqua entitas non tamen omne ex duabus primis infert quod malitie seu per se mali cum nulla sit entitas, nulla est proprie loquendo causa efficiens. Omne enim efficiens proprie facit aliquam || rem esse aut aliquid esse positive unde 7 P2 113v
20 *Metaphysice* probatur omnia que fiunt ab alicuius fiunt ex alicuius in aliquid. Item 5 *Physicorum* omnis generatio est de non esse ad esse, unde AUGUSTINUS *Super Genesim* dicens “non enim Deum fecisse tenebras dictum est in illa Scriptura *Genesis* in qua universorum creatio primo refertur, quoniam, inquit, species ipsas Deus fecit non privationes que
25 ad nichilum pertinent unde ab artifice Deo facta sunt omnia”, supple entia, etc.

- Ex hiis patet de peccato substantive quod cum non sit nisi privatio boni, ut patebit, puta actus boni debiti fieri in peccato omisso aut bone circumstantie in peccato, scilicet commissionis ipsius omnino nulla est
30 causa, nec Deus, nec creatura.

Nec etiam actus denominatus malus fit proprie ab aliquo malus, quia ipsum esse malum non est ipsum aliquid vel aliqualem aut aliquid, sed potius non esse aliqualem vel aliquid, qualis vel qualiter deberet. Nec a creatura fit proprie talis quamvis ab ipsa sit, quod ille actus est

1 de infra scriptis] *om.* P2 5 si nulla esset lex] *iter.* P1 12–14 de malo — esse] Gregorius *p. c.* P1 ; de malo *add. in marg.* P1 12 de malo] Gregorius Ariminensis *add. in marg. a. m.* P2 de] 9 *add. in marg.* P1 16–18 tertia — efficiens¹] nota de negando et privabile *add. in marg.* P1 16 omne] patet de peccato comisso et omisso *add. sed del.* P1 25 pertinent] ab *add. sed del.* P2 27–30 ex hiis — creatura] de peccati causalitate aliquid *add. in marg.* P1

malus, id est ista causalis est vera, quia creatura debet sic facere et non facit talis actus vel obmissio malus etc.

Describit quoque peccatum sic vel peccare dicens quod non est aliud quam voluntarie committere vel obmittere contra rectam rationem, etsi
 5 obmittere possit dici aliquo modo agere quod videtur, nam responditur ad questionem factam per quid agit. Tunc peccare nichil aliud est quam agere contra rectam rationem seu contra id quod agendum est secundum rectam rationem. Probat ratione et auctoritate, scilicet AUGUSTINI 22 *Contra Faustum*: “peccatum est factum vel dictum vel concupitum
 10 vel omisum aliquid contra legem eternam”. Et subdit quid sit lex eterna dicens quod “lex eterna est divina ratio vel voluntas Dei ordinem naturalem servari volens, perturbari vetans”. Ex quo patet quod idem est dicere contra legem eternam, sicut contra divinam rationem, cum igitur illa ratio sit rectissima et quidquid est contra unam rectam rationem
 15 est contra quamlibet rectam rationem de eodem. Nulla enim recta ratio aliqui recte rationi adversatur cum omnia, supple vera, vero consonent. Sequitur quod absolute potest describi peccatum per esse contra rectam rationem generaliter.

Sed movetur dubitatio an melius dicitur || sic peccatum esse contra
 20 rectam rationem generaliter vel contra rationem divinam, dicendum quod primum melius dicitur, ne putetur peccatum esse solum contra rationem divinam et non contra quamlibet aliam rectam rationem de eodem. Aut ne putetur peccatum esse peccatum, quia contra rationem divinam eo quod divina, non quia recta. Nam non sic putandum est,
 25 nam si per impossibile nulla esset divina ratio aut ipsa divina ratio non foret recta, sed errans, tunc quis agendo non secundum illam vel contra illam non peccaret, ymo recte ageret. Vel si tunc conformiter illi ageret seu nec conformiter, nec difformiter dum tamen ageret contra rectam rationem angelicam vel humanam aut aliam entem, vel possibilem vel
 30 ymaginariam, ad huc peccaret. Ymo si nulla esset recta ratio, si quis ageret contra id quod agendum esse dictaret recta ratio, si esset, peccaret, et sic patet dicta descriptio bene data.

Sed contra, quia ratio dictans A non esse agendum vel esse malum aut peccatum, non est vera nisi quia sic est, sicut significat et non

3–6 describit — agit] de quid peccati *add. in marg. P1* 10 vel omisum] *sup. lin. P1* 19–32 sed movetur — data] dubium ad impossibile secuuntur contradictoria etc. *add. in marg. P1* 27 ymo] ageret *add. sed del. P2* 29–30 entem — ymaginariam] *sup. lin. P1* 5/33–6/4 sed contra — fuit etc.] *dubium add. in marg. P1* 5/33–6/1 sed contra — ergo illa] *scr. sed del. et iter. in marg. inf. P2*

econtra, ergo illa descriptio vel non est vera, vel est a posteriori. Et sic actus non est malus, || quia deformis sue regule, sed potius econtra. Hic responditur distinguendo de intellectu et voluntate dicans et horum ordine, ut alias respectu futuri contingentis dictum fuit etc. P2 114v

5 || Si aliquid est vel esset malum esto quod non prohibitum, tunc divina lex non esset simpliciter prima regula. Si autem oppositum ponatur, cum Deus libere prohibeat, quodlibet sequitur etc. Hic distinguitur de iustis contingentibus etc., et de necessariis antecedentibus BREDWARDINUS, vel de velle efficaci productivo libero semper, et de
10 regulativo et directivo non semper libero. P1 69v

Ex data descriptione de peccato infert duo corollaria: unum quod peccatum proprie loquendo non est aliquid significabile incomplexum, sed hoc corollarium obmitto, quia non est ad propositum.

Aliud corollarium satis ad propositum quod multa sunt mala et
15 peccata et non precise, quia prohibita, ymo esto quod non essent prohibita taliter agens peccaret, patet ex descriptione, nam quid potest agere contra rationem esto quod de non sic agere habeat preceptum. Patet nam taliter agens perturbaret ordinem naturalem quem lex eterna servari iubet, nam ordo naturalis est ut mores et actiones hominis
20 sint rationi subiecte vel conformes, etiam si nullum preceptum esset. Allegatur AUGUSTINI 1 *De libero arbitrio*, capitulo 7, et alibi, etc. Etiam APOSTOLUS confitetur ante legis dationem fuisse peccatum quam post legem habundaverit. Etiam multi gentiles qui legem non acceperunt in multis peccaverunt. Item nec angelus legitur habuisse preceptum
25 aliquid. Item possibile est nichil esse prohibitum etc.

Item AUGUSTINUS 1 *De libero arbitrio*, capitulo 3, dicens “adulterium non ideo malum, quia vetatur lege, sed ideo vetatur lege, quia malum est”, ad idem inducitur PHILOSOPHUS.

Ad oppositum inducitur AUGUSTINUS *De baptismo parvulorum*
30 dicens “nam nec peccatum erit, si non divinitus iubetur, ut non sit, et infra quomod”, inquit, “non vetatur per divinam iustitiam si peccatum est?” et idem alibi describit peccatum dicens peccatum esse “voluntas consequendi vel retinendi etc. quod iustitia vetat”.

Item ubi supra dicitur peccatum esse contra legem eternam que

2 potius] *p. c. P1* 5–10 si aliquid — semper libero] *om. P2*
8 contingentibus] *iter. P1* 12 significabile] *iter. P2* 14–28 aliud
corollarium — Philosophus] *contra fratrem Iacobum add. in marg. P1*
14 corollarium] *est add. P2* satis] *p. c. sup. lin. P1* ; *est magis a. c. P1*
27 ideo] *Deo P2* 29–33 ad oppositum — vetat] *oppositum arguitur add. in*
marg. P1 32 idem] *ideo P2* 33 vel retinendi] *sup. lin. P1*

est ratio divina vel voluntas Dei ordinem naturalem servandi iubens, perturbari vetans. PSALMISTA: *prevaricatores reputavi omnes peccatores terre, ubi autem non est lex, ibi non est prevaricatio*, APOSTOLUS Rom. 4.

5 Item AMBROSIUS et allegat MAGISTER libro 2, distinctione 5: “quid est peccatum nisi prevaricatio legis divine et celestium || inobedientia mandatorum?” Et infra: “non enim consisteret peccatum si interdictio non fuisset”. P2 115r

Distinguitur de lege preceptiva vel de precepto et prohibitione, nam potest capi dupliciter. Uno modo communiter, ut non solum dicitur de propositione imperativa, ymo etiam de indicativa. Unde indicativa lex seu prohibitio est illa qua tantum significatur aliquid non esse agendum vel agendum non esse vel aliquid ex quo hoc sequitur, sicut cum significatur aliquid esse iniustum seu vituperio aut pena dignum cuiusmodi sunt illa verba Rom. 1: *qui talia agunt digni sunt morte*, et Eph. 5: *omnis fornicator aut immundus etc. non habet partem in regno*, et multa dicuntur illicita, quia tali legi prohibitive contraria.

Conformer cum denunciatur aliqua esse agenda vel enuntiatur aliquid ex quo sequitur aliqua esse agenda, talia possunt dici quodammodo precipi preceptive indicativa. Vocantur autem huius preceptio et prohibitio indicativa, quia per verbum indicativi modi exprimitur.

Ex hiis infertur quod omnis cognitio quam homo habet de agendis vel vitandis quodammodo potest dici prohibitio vel prohibitivo, nam est indicativa cognitio seu enuntiativa de illis agendis aut vitandis.

Inperativa autem preceptio vel prohibitio dicitur illa qua inperatur aliquid agendum vel non agendum et ista explicatur per verbum inperativi modi vel alterius eius vice consimiliter significativi, sicut dicit PSALMISTA “*nolite adversus Deum loqui iniquitatem*” et illud “*non mecaberis*”. Stricte tamen dicuntur precipi ea que a superiori inferiori iubentur, ut fiant vel ne fiant.

Deus eternaliter, mentaliter, equaliter indicative inperavit rationem etc., et obligavit, quia innocuit, vel debuit etc. Sed per legem et precepta nobis innocuit magis.

9–17 distinguitur — contraria] responsio notanda add. in marg. P1 12 lex] es add. sed del. P1 13 vel² — sequitur] sup. lin. P1 14 aut] et P2 23 hiis] quibus P2 25 aut] vel P2 26–31 inperativa — ne fiant] secundum membrum add. in marg. P1 28 inperativi] p. c. sup. lin. P1 ; indicativi a. c. P1 7/32–8/8 Deus eternaliter — vult] om. P2 32 equaliter indicative] sup. lin. P1 32–33 rationem etc.] sup. lin. P1

In creatura imperium addit voluntatem officii beneplaciti de illud fiendo. Ad enuntiationem de iusto aut aliud.

Considera quod Deus nichil potest intrinsece noviter imperare*.

|| Tertia et quarta propositioni dubii infra scripti forsitan posset addi
5 quod huius lex esset divina voluntas qua vult quod si huius actus fierent,
placerent sibi et aprobarentur et premiarentur etc. Sed hic modus
dicendum dubius, quia non videtur aliquis talis actus conditionalis
ponendus in Deo, qui omnia clarissime novit et determinatissime vult.

P1 70r

Ad propositum omne peccatum primo modo est prohibitum nam
10 omne peccatum divina lex censet saltem indicative esse non agendum
et, si de aliquo non sic censeret aut indicaret, nec in se, nec in suo
antecedente etc. Illud non esset aliquo modo peccatum, quia nec esset
contra rationem. Et isto modo impossibile est aliqua peccata a Deo non
esse prohibita, et non esse contra legem eternam, puta odire Deum et
15 similia, sicut est impossibile non esse unum Deum || non esse odiendum
et isto modo impossibile est talia lege eterna non esse prohibita.

P2 115v

Alio autem modo capiendo preceptum vel prohibitionem possibile
est nullum tale esse prohibitum. Nam possibile est Deum nullum tale
imperium facere, supple extrinsecum, sed quin eternaliter mutatur sic
iudicaverit et voluerit fieri, ut nunc dum imperat non est dicendum, ut
20 patet ex eius immutabilitate.

Sed nunquid lex eterna propter cuiusmodi prevaricationem aliquis
actus dicitur peccatum sit divinum iudicium vel divinum velle vel aliquis
alter actus divinus posset dubitari pro hoc aliqua dicuntur.

25 Primo, quod divinum iudicium quo iudicat aliquem esse peccatum
vel non debere fieri vel debere fieri non est huius prima lex. Nam
huius iudicium est unum et rectum, quia ita est sicut significat, et per
consequens est unum iudicium, quia talis actus est malus et non econtra.

Secundo, dici potest quod huius lex non potest poni divinum velle
30 efficax seu voluntas divini beneplaciti quo vult fieri illa que fiunt vel
fient et que non fiunt, nec fient, non sic vult. Nam tunc nichil male
fieret, ymo nec posset, quia nichil potest differenter fieri isti voluntati,
cum sit infrustrabilis, inimpedibilis etc.

Tertio, potest dici quod huius lex eterna potest poni divina voluntas
35 vel complacentia simplex iniusto, sive fiat, sive non. Et talis complacentia

1 officii] *sup. lin. P1* 4 tertie] 10 *add. in marg. P1* 11–12 nec in se —
antecedente etc.] *sup. lin. P1* 17 autem] c *add. sed del. P2* 19 eternaliter]
sup. lin. P1 22–24 sed nunquid — dicuntur] *dubium add. in marg. P1*
26 non¹] *sup. lin. P1* 34 poni] *causa quare aliqui actus sunt iusti et boni add.*
sed del. P2 35 simplex] *sup. lin. P1*

potest dici causa quare aliqui actus sunt iusti et boni, et defectus illius potest dici causa quare aliqui sunt iniusti.

Vel quarto, potest poni huius lex divina voluntas volens actum huiusmodi esse iustum complexe sive ille actus fiat, sive non vel est
5 aprobatio illius actus. Et divina voluntas nolens, vel non volens, actum aliquem esse iustum vel volens esse iniustum est lex cui peccans se difformat.

Sive autem Deus habeat actum positum circa peccatum, puta nolle illud esse iustum aut aliter sive non, ut de hoc diversimode diversi
10 opinantur, ut alibi tangitur non refert pro nunc.

Unde secundum hoc || divina voluntas qua vult actum divine dilectionis esse iustum et debitum et debere fieri a creatura rationali, et non illa qua vult illum fieri est huiusmodi regula. Similiter volutio qua
15 vult odium sui non esse iustum vel vult esse iniustum, et non debere fieri, si sic positive velit, est huius regula propter quam sic odians peccat.

Quinto, potest dici quod huius legis eterne lex scripta a Deo data est signum expressum, unde est signum quod Deus complacet in talibus actibus et vult illos esse iustos et rectos et debitos fieri, et ulterius significat talis lex quod vult illos esse preceptos quamvis non semper et
20 a quolibet velit illos fieri, sicut nec fiunt de facto.

Hec quinta propositio non sit intelligibilis de preceptis in quibus aliud precipitur et aliud est propter quod precipitur, ut de Abraham et ceteris etc.

Sexto, quod eiusdem legis recta ratio est signum subordinatum
25 divine rationi in significando et conformiter illi significationis, id est significans esse agendum quod divina ratio iudicat esse agendum et divina voluntas vult esse iustum et debitum fieri etc., et ideo voluntas huius in responsione est ultima.

Propter hoc sunt date tres diffinitiones de peccato: quod est agere
30 contra rectam rationem, quod est prevaricatio legis divine, supple date, et celestium inobedientia mandatorum, quod est dictum vel factum vel omissum contra legem eternam et ex dictis redeunt in idem.

|| in quo consistit rectitudo voluntatis, quia vult quod

Ex supra dictis in quo consistit rectitudo create voluntatis non,
35 supple quia ipsa vult quod Deus vult, sicut nec quia agit quod Deus agit, nec rectitudo in hoc quod Deus vult et scitur velle. Patet de filio qui scit

P2 116r

P1 70v

1 causa] q add. sed del. P2 8 positum] sup. lin. P1 16 quinto] p. c.
P1 18 actibus] actus a. c. P1 19 vult] e add. sed del. P2 21–23 hec
quinta — et ceteris etc.] hic incipe add. in marg. P1 21 sit] sup. lin. P1
23 ceteris] cetis sed con. P1 29 de peccato] sup. lin. P1 34 rectitudo]
divine add. sed del. P1

patrem suum mori, et per consequens Deum velle ipsum rationabiliter scire potest etc; nec in eo quod ipsa vult quod Deus vult ipsam velle, nam et quidquid ipsa vult, Deus vult eam velle. Sed in eo quod ipsa vult quod divina voluntas vult ipsam debere velle vel iustum esse eam velle.

Et si dicatur vel queratur si in actu peccati vel male volutionis conceditur voluntatem || velle quod vult qualiter salvabitur quin divina voluntas sit causa peccati. Dicitur quod salvabitur dicendo quod quamvis velit eam velle quod vult non tamen defectuose propter quod male vult, quia respectu negationum Deus nec habet velle, nec nolle. Vel dicitur quod esto quod sic vellet positive eum omnimode sic velle ut vult. Etiam cum circumstantiis positivis non ideo Deus est causa peccati, quia Deus sic volendo non malo vult, quia non tenetur velle oppositum vel non velle sic. Aliter potest dici quod licet Deus velit et causet quidquid ibidem causatur a causa secunda, non propter hoc peccat aut est causa quare ille actus est peccatum, nam non ideo, quia sic illum Deus agit est malus, sed quia creatura concurret que deberet non concurrere. De hiis alibi sed istud sufficiat quoad propositum, scilicet in quo stat voluntatis rectitudo in compositione ad divinam, et per consequens in quo stet obliquitas, et quid sit peccatum vel peccare, scilicet difformiter agere legi eterne, et per consequens recte rationi divine et create, et legi date etc.

Hec ex dictis GREGORII sint collecta de hiis.

P2 116v

3 vult²] eam *add. sed del. P2*
peccati causalitate *add. in marg. P1*
21 eterne] vel *add. sed del. P1*

6–22 et si dicatur — legi date etc.] de
13–14 vel non velle sic] *sup. lin. P1*